

classis navalis dictus fui, in cujus nosocomiis quotidie 100 ad 200 aegri detinentur; accessit dein officium publicum, quo in auditorio illustri Botanice per æstates, Mineralogiam per hyemes publice docerem; mox *Societas (Academia dicta) Scientiarum* Stockholmiæ extracta fuit, quæ observata omni trimestri ederet linguâ vernaculâ in mathematicis, physicis, tribus naturæ regnis, æconomicis, non aliis, cujus Academiae primus Præses ipse electus fui; sed mutatur hoc officium quotannis. Orationem habui in eadem Academia de *Curiositatibus in Insectis* *, quæ impressa est. Ferberi *Hortum Agerumensem* ** heic typis edidi; in *Actis litterariis et scientiarum Upsaliensibus* *** catalogum cum citationibus authorum dedi animalium Sueciæ, ubi quadrupedes, aves, pisces, amphibia, insecta et vermes enumerata reperies. At in *Actis scientiarum Sueciæ* **** descriptio-

* Quum primum deponeret Academia Præsidium 5 octobris 1739. *Oratio de Memorabilibus in Insectis.* (Holmiæ, in-8º, 1739, ling. succ. Amen. Acad., vol. II, 1751, ling. lat.)

** *Joh. Eberhardi Ferber Hortus Agerumensis, exhibens plantas saltem rariores, quas Horto proprio intulit, secundum Methodum sexualem Linnæi digestus.* (Holmiæ, 1739.)

*** Ann. 1758.

**** Act. Soc. Reg. Scient., Holm., vol. II, 1739: *Oestrus Rangiferinus.* — *Picus pedibus tridactylis.*